AUTHOR:

BARKHOLT, ANTON

TITLE:

HORATII DE VETERIBUS

PLACE:

WARBURG

DATE:

1876

Master Negative #

91-80135-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Barkholt, Anton,
...Horatii de veteribus Romanorum poetis sententiae. Warburg, Quick, 1876.
26 p. 25½ cm.


At head of title: Jahresbericht über das Gymnasium zu Warburg... Voran geht eine abhandlung des ...Dr. Anton Barkholt.


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 12
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/3/91 INITIALS D.T.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT










Centimeter
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
mm
1
2
3
4
5
Inches


1.0
1.1
1.25
1.4
1.6
1.8
2.0
2.2
2.5
2.8
3.2
3.6
4.0
4.5
5.0





Jahresbericht

über das

Gymnasium zu Warburg

für das

Schuljahr 1875—1876,

mit welchem

zu den am 10. April abzuhaltenden Prüfungen

ergebenst einladet

der Director

Dr. Adolf Hechelmann.

Voran geht eine Abhandlung des Gymnasiallehrers Herrn Dr. **Anton Barkholt**:
Horatii de veteribus Romanorum poetis sententiae.

No. 294.

Warburg, 1876.
Druck der Fr. Quick'schen Buchdruckerei.

Der vorliegende Bericht erstreckt sich auf das Semester von Michaelis 1875 bis Ostern 1876. Von diesem Zeitpunkte an wird der Jahrescursus fortab **zu Ostern beginnen.**

Horatii de veteribus Romanorum poetis sententiae.

Jam Sullae temporibus, maxime autem Augusto regnante, ingeniorum ac studiorum gravissima mutatio Romae exstitit. Relicto maiorum more, quem lepidissime depingit Horatius[1]:

Romae dulce diu fuit et sollemne reclusa
Mane domo vigilare, clienti promere iura,
Cautos nominibus certis expendere nummos,
Maiores audire, minori dicere, per quae
Crescere res posset, minui damnosa libido,

Augusti aetate permulti Romani unice appetebant ea, quae delectationem animi afferrent. Quod olim Catonis aetate factum est,[2]) ut philosophi atque rhetores ex urbe eiicerentur, iam non placebat. Contra Romanorum iuvenes vehementissimo artium litterarumque studio capti Athenas quaeque aliae Graecorum urbes litteris excellebant, petiverunt et frequentaverunt, ut a Graecis magistris erudiendos se curarent.[3]) In urbe doctissimo cuique Graeco, artifici, grammatico, rhetori, philosopho Romanorum nobilissimorum domus et coetus patebant, intimaeque praeclarissimorum virorum familiaritates offerebantur.[4]) Quod ita cives artibus et litteris earumque amicis totos se dabant, Augusto nequaquam displicebat; potius id egisse videtur, ne Romani hanc animi excolendi viam, quam erant ingressi, relinquerent. Quare, qui doctrina artibusque excellebant, sua ipsius familiaritate et amicitia dignos habebat eosque honoribus atque laudibus augebat. Profecto, quam acceptissima haec civium in poesim permagna studia Augusto erant, quae, cum iis semper homines a rebus civitatis considerandis avocentur, tum talia erant, ut etiam oblivione priorum temporum clarissimorum afficerentur poetae atque cives Romani. Constat enim illius temporis poetas non aliter ac Graeci, quibus usi erant magistris, fecerant, Graecos, imprimis Alexandrinos poetas, maximi aestimasse operamque navasse, ut eorum carmina interpretarentur atque imitarentur. Ad epicam quidem poesim quod attinet, Apollonii Rhodii opera in linguam Romanam transtulit Varro Atacinus;[5]) ipse Vergilius Alexandrinorum poetarum carmina epica in maximo illo opere adhibuit; Nicandrum et Parthenium Ovidius in metamorphoseon libris secutus est.

---

[1]) Ep. II. 1. 103 sqq.
[2]) cfr. Athen. XII. pg. 547. A; Aelian. var. hist. IX. 12.
[3]) cfr. Baehr, Geschichte der Römisch. Lit. §. 17, not. 3.
[4]) cfr. Cicero pro Archia poeta III. 6.
[5]) „Varro in iis, per quae nomen est assecutus, interpres operis alieni.“ Quint. inst. orat. X. 1. 87.

In aliis carminum generibus alii [1]) Alexandrinos poetas recte sibi invenisse visi sunt, quos imitarentur; Propertius quadam cum gloria fatetur, se esse Romanorum Callimachum. [2])

Nihilominus confitendum est, hos, quos imitatores appellavimus, Romanorum poetas, summa tenuitate hac in imitatione fuisse, vel potius multa et praeclara carmina suapte ingenii vi condidisse. Veruntamen illorum operum color poeticus et proprietates omnino similes sunt Alexandrinorum poetarum scribendi rationi. Quibus in legendis magis virtute oratoria, quam vere poetica capimur; versus autem tam perfecti atque politi sermoque tam elegans est omnibusque numeris absolutus, ut vix carmina politiora cogitari possint. Tali [3]) modo, quae Augusti aetate efflorebat poesis, veteris poesis Romanae ratione non habita in hominum peregrinorum posita erat et arte et rebus. Inde factum est, ut Romanorum veteres poetae magis magisque neglegerentur. — Quod non ab omnibus Romanis esse comprobatum, iam per se apparet; multi novo poesis generi eiusque amatoribus adversabantur cum incuria recentium poetarum tum summo studio, quod ponebant in antiquis.

Itaque in urbe paulatim de poesis rationibus duae quasi scholae [4]) exstiterunt; inter quas simul certamen exarsit acerrimum, cuius differentiae, quantum ex Horatii satiris et epistolis concludere licet, praecipue hae fuerunt.

Primum illius temporis poetae vituperabantur de ipsa, qua utebantur, lingua et forma loquendi, cum liberius Graeci sermonis proprietates adhiberent; quare Horatius: [5])

Quid autem
Caecilio Plautoque dabit, Romanus ademptum
Vergilio Varioque? Ego cur, adquirere pauca
Si possum, invideor, quum lingua Catonis et Ennî
Sermonem patrium ditaverit, ac nova rerum
Protulerit.

Ii enim, quibus veteres arridebant poetae, statuisse videntur, illos in imitanda lingua Graeca omnem audaciam iam expertos esse, qua iuste uterentur; Horatius autem eandem, quae maioribus data esset, augendi sermonis libertatem vel maiorem sibi atque poetis sui temporis vindicabat.

Etiam de modo, quo res essent componendae, dissensio tum erat. Qui a partibus veterum poetarum erant, delectabantur simplicitate vetustaque porrigine, qua sermo, ut vita et mores illorum temporum, premebatur. Cuius scribendi generis novae poesis amatores omnino taedebat: „Denn alles Kühne, Gewaltige, Ungefesselte wurde verbannt, nur das geschmeidige, glatte, griechische Wesen behielt Geltung“. [6])

Ad quas controversiae causas tertia eademque gravissima accessit haec. Constat non paucos veterum poetarum in scriptis optime rationem habuisse civitatis populique Romani id, quod omittebant recentiores. Paene nullus illorum poetarum memor esse videbatur rerum pristino tempore a fortissimis Romanorum viris praeclare gestarum. Quam rem summi momenti

[1]) Hos enumerat Grauert in libro, quem scripsit: Ueber die Metrik der römischen Epiker, pg. 290.
[2]) cfr. Propertii carm. IV. 1 sqq.
[3]) Latius rem exposuit Grauert l. c. pg. 298.
[4]) cfr. Manso: Vermischte Abhandlungen pg. 89—106. Breslau 1821.
[5]) Ars poetica, v. 53. sqq.
[6]) cfr. Grauert l. c.

Horatius silentio praeterit, id unum agens, ut demonstret, vetusta carmina non in amore fuisse, nisi propter ipsam vetustatem.

Quibus explicatis satis elucere videtur, discrimina veteris et recentioris poesis, cum et ad ipsa argumenta et ad sermonem formamque scribendi pertinerent, haud parvas fuisse; qua in re dolendum est, quod de singulis minus instructi sumus.

Jam ex loco, [1]) quem supra annotavimus, apparet, Horatium iis poetis annumerandum esse, qui novo poesis generi eiusque rationibus dediti erant. Cum igitur nobis proposuerimus, eius de veteribus Romanorum poetis sententias exponere et examinare, illius temporis, quo vitam degebat, studia artis poeticae accuratius illustranda erant. Sed haec res, cum iam mirum quantum efficiat ad Horatii iudicium de veteribus poetis Romanis satis intellegendum, non plane sufficit. Quaeritur enim, qua ratione illi certamini, quod inter aequales de poesis legibus erat, interfuerit. Hac in re admonendum est, Horatium alterius scholae gravissimum fuisse poetam atque iudicem et claram vocem exstitisse eorum, qui iisdem atque ipse legibus poemata iudicarent. Quales sunt putandi, quos amicos et socios enumerat: [2])

Plotius et Varius, Maecenas Vergiliusque,
Valgius et probet haec Octavius, optimus atque
Fuscus et haec utinam Viscorum laudet uterque!
Ambitione relegata te dicere possum,
Pollio, te, Messalla, tuo cum fratre simulque
Vos, Bibule et Servi, simul his te, candide Furni,
Complures alios, doctos ego quos et amicos
Prudens praetereo; quibus haec, sunt qualiacunque,
Arridere velim.

Neque dubitari potest, quin hi fortiter ab Horatii partibus steterint. Adversarii, quorum auctoritatem plurimi illi Romani sequebantur, qui, litteris Graecis non imbuti, quae carmina pueri didicerant iuvenesque admirati erant, respuere nolebant, plus numero quam ingenio valuisse videntur. Sine ullo dubio autem tam miseri pauci fuerunt, quales complures Horatius proposuit: [3])

Nulla taberna meos habeat neque pila libellos,
Quis manus insudet volgi Hermogenisque Tigelli,

et altero loco: [4])

Men moveat cimex Pantilius? aut cruciet quod
Vellicet absentem Demetrius? aut quod ineptus
Fannius Hermogenis laedat conviva Tigelli?

Si enim omnes, qui cum Horatio de poesi dissentiebant, huiuscemodi fuissent, nequaquam opus fuisset hos adversarios tam acerbe vexare. Sed praeter alios etiam grammatici, quos antiquitatis studiosissimos fuisse scimus, veteribus poetis eorumque amatoribus favebant. Neque hos armis in Horatium abstinuisse, verum summa vi id egisse, ut sua auctoritate

[1]) Ars poetica, v. 53. sqq.
[2]) Sat. I. 10. 81 sqq.
[3]) Sat. I. 4. 71 sqq.
[4]) Sat. I. 10. 78 sqq. cfr. etiam I. 10. 90.

ad sustinendas poesis veteris leges uterentur, ex ira, qua Horatius eos insectatus est, emanare videtur:

Non ego nobilium scriptorum auditor et ultor
Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor. [1])

Quibus rebus sequitur, ut Horatius, princeps alterius scholae, vehementissimo illo certamine in odium pervenerit adversariorum, quibus veterum poetarum carmina sola artis poeticae exemplaria esse videbantur.

Tali igitur rerum condicione Horatius sententias de veteribus Romanorum poetis tulit, et eas quidem gravissimas. Primum enim his verbis: [2])

Indignor, quidquam reprehendi, non quia crasse
Compositum inlepideve putetur, sed quia nuper,
Nec veniam antiquis, sed honorem et praemia posci,

merita iis negare videtur. Deinde omnes Romanorum poetae veteres Horatii sententia compluribus vitiis laborant; iudicat enim universe generatimque de iis ita: [3])

Si quaedam nimis antique, si pleraque dure
Dicere cedit eos (veteres poetas), **ignave multa fatetur,**
Et sapit et mecum facit et Iove iudicat aequo.

Tale iudicium, quod maxime ad versuum et vocabulorum naturam spectat, secundum ea, quae in praefatione de Augustei aevi Horatiique poesis rationibus diximus, vix mirum nobis videtur.

Praeterea Horatius singulis poetis veteribus maxima vitia obiecit sententiis suis. Rem nostram igitur instituimus, ut has sententias exponentes simul unaque demonstremus, quo iure eas tulerit; quatenus illis vitiis, quae omnibus poetis obiecit Horatius, singuli premantur; quo iure iis praemia et honorem negaverit.

I^ma

igitur commentationis pars in eo versatur, ut cognoscamus, quid praeterea singulatim et quo iure haec omnia Horatius de poetis, qui **fabulas** scripserunt, statuerit et quo iure iis merita negaverit.

Sicut Aratus a Iove incipiendum putat, ita de Romanorum poetis scribenti a Livio Andronico, „supra quem nihil esse in poetis“ contendit Quintilianus, [4]) initium ducendum est. Horatius autem non de aliis poetis iudicare voluisse videtur, nisi de iis, qui tum erant in honore, qui Livio negabatur, ut recte confirmat Osann: [5]) „Nec cultiori post Romanorum litterarum aetate maioris Livius aestimatus esse videtur, cum eius de arte scenica et tota poesi merita poetis eius vestigia sequentibus oblitterarentur. Quo factum, ut, ubi de principibus Romanae tragoediae et comoediae apud veteres sermo esset, is a quo omne poesis Latinae principium pependerat, ne nomine quidem laudaretur.“ Itaque Horatius de eo sententiam non tulit; de aliis fabularum poetis loquitur ita: [1])

Ambigitur quoties, uter utro sit prior, aufert
Pacuvius docti famam senis, **Attius** alti;
Dicitur Afrani toga convenisse Menandro;
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi,
Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte.

Hi versus per se summam indicant laudem poetarum, qui arti scenicae operam navarunt; attamen haec vocabula nequaquam ab Horatio, sed ab iis profecta sunt, qui veteres poetas unice admirabantur.

Ceterum, quod ad duos priores illorum poetarum attinet, iuste illa epitheta Attio Pacuvioque indita sunt. Non multum quidem differt ab Horatii iudicio de Pacuviana doctrina sententia Quintiliani, [2]) qui „Pacuvium“, inquit, „videri **doctiorem**, qui esse docti affectant, volunt.“ Contra Vellejus Paterculus [3]) audiendus est „in Afranio, Pacuvio aliisque limae, in hoc (Attio) paene plus videri sanguinis fuisse.“ Quo auctore sermonis elegantiae versibusque politioribus magis quam alii studuisse videtur; itaque cum Quintiliani sententia non sit neglegenda, de singulari quadam eruditione (quae vis „docti“ vocabulo subest) minus cogitabimus, quam de eruditionis specie. Illo, quem modo citavimus, Velleji loco etiam Attii epitheton „alti“ paene comprobatur; Attium enim altitudine et sublimitate magna fuisse laudat etiam Quintilianus [4]): „Attio“, inquit, „virium plus (quam Pacuvio) tribuitur.“ Ad hoc bene quadrat, quod apud Ovidium [5]) „animosi oris“ dicitur, eiusque liber „venosus“. Ita elucet, illa honoris nomina ab amatoribus veterum poetarum non sine iusta causa Attio et Pacuvio data esse.

Quamquam igitur Horatius iis fortasse assentitur, — et hoc modo totus ille, quem annotavimus, locus explicandus esse videtur — hunc poetam hac virtute insignem esse, tamen e sententiarum nexu sequitur, ut „his versibus solitas amatorum disputationes de antiquioribus poetis inter se comparandis atque inde aestimandis ita ut cuiusque character uno alterove epitheto definiretur“, [6]) salse persecutus sit. Horatio enim otiosum videbatur, poetas in virtutum comparationem vocari, quos quaedam nimis antique, pleraque dure, ignave multa scripsisse putabat.

Praeter primos versus l. c. apud Horatium poetarum, qui **tragoedias** scripserunt, — id enim agimus, ut sententias, quas de iis tulit, deinceps iam proponamus — in arte poetica [7]) fit mentio:

[Iambus] hic et in Atti
Nobilibus trimetris apparet rarus et Enni
In scenam missos magno cum pondere versus
Aut operae celeris nimium curaque carentis
Aut ignoratae premit artis crimine turpi.

---

[1]) Ep. I. 19. 39.
[2]) Ep. II. 1. 76. sqq.
[3]) Ep. II. 1. 66. sqq.
[4]) Inst. orat. X. 2. 7.
[5]) Analecta critica, pg. 2.

[1]) Ep. II. 1. 55.
[2]) Inst. orat. X. 1. 98.
[3]) Hist. II. 9.
[4]) Inst. orat. X. 1. 98.
[5]) Amor. I. 15.
[6]) Orelli ad Horatii Ep. II. 1. 56.
[7]) V. 258. sqq.

Ut hoc loco Attium et Ennium, ita etiam universe Horatius tragoediarum poetas vituperat ob versus minus politos, ita iudicans: [1]) „Sed turpem putat" [tragoediarum scriptor Romanus] „inscite metuitque lituram." Inde sequitur, ut etiam Pacuvius hac vituperatione tangatur. Verum tamen neque Ennius leges artis metricae ignorasse neque Attius Pacuviusque lituram neglexisse videntur, sed peccarunt nimiis difficultatibus, quae ex linguae ipsius indole oriebantur. „Etenim", ut Bentleyi [2]) verbis utar „quum sermo Latinus multo rarius quam Graecus syllaba brevi utatur, Graecorum leges, ut versus commodius fluerent, relaxabant, sed ita quidem, ut elegantiae iacturam gravi dignoque versuum incessu aliquantum resarcirent." Etiamsi igitur elegantia versuum in Attii, Pacuvii, Ennii scriptis desideratur, tamen vehementer laudabimus, quod spreto versu Saturnio linguam ad novum versuum genus adaptare studuerunt et taedium popularium superarunt.

Quod ad sermonem poetarum tragicorum spectat, in eo accuratissime pervestigando dolendum est, quod Romanae tragoediae perparvula fragmenta servata sunt, „ut etiam perisse ruinas cum poeta propemodum dicere liceat". Itaque imaginem sermonis totius vix animo concipere poterimus. Quod autem Horatius universe [3]) in sermone veterum poetarum vituperavit, satis superque fabularum fragmentis comprobatur. Nam et vocabula obsoleta duraque et enuntiata dura in iis saepissime reperiuntur; ita — quamquam omnia huiuscemodi afferre longum est — in Ennii, [4]) Pacuvii, Attii fabulis relictis sexcenties apparent substantiva in udo exeuntia, quorum copia versus tam duri et iniucundi, quam graves redduntur, ut: geminitudo, honestitudo, moestitudo, noxitudo, orbitudo, prolixitudo, temeritudo. Usurpantur praeterea **obsoleta substantiva:** angustitas, discorditas, faventia, incurvicervicus, repandirostrus, squalitas, aliaque multa; deinde **adiectiva** et **adverbia:** famulanter, horrificabilis, ingratificus, indecorabiliter, inimiciter, miseriter, minitabiliter, proterviter, reverecunditer, denique **verba:** betere, hostire, redhostire, redamptruare, vitulari. Etiam obsoletae **formae vocabulorum** reperiuntur: Medeai pro Medeae; gen. pl. sec. decl. in — um plerumque exit pro — orum; labos, pavos, timos exhibentur pro — or, itiner pro iter; sublimus usurpatur pro sublimis, mansves pro mansuetus, perpes pro perpetuus; sescidi pro scidi, tetuli pro tuli, aliaque multa. [5]) Denique allitterationis, qua modice adhibita sermonem vi atque granditate augeri constat, nimis frequens apud eos exstitit usus, ut saepe poetas lusisse putes. Ita aures teretes offenduntur versibus:

ut **Ennii:** fragmentorum [6]) versu:

257: Sed **virum virtute vera vivere** .
266: **Saeviter suspicionem ferre falsam futtilum** est.
322: . . . . **paratum pestem** ut **participet parem.**
400: Umquam] **quidquam quisquam cuiquam**
. . . . quod ei conveniat neget?

---

[1]) Ep. II. 1. 167.
[2]) cfr. Bentl. ad. Hor. A. P. l. l.
[3]) cfr. Ep. II. 1. 66. sqq.
[4]) cfr. Ennius infra inter poetas epicos.
[5]) cfr. Fragm. trag. Lat. ed. Ribbeck.
[6]) cfr. idem opus.

ut **Attii:**

Atr. 11. **maior mihi moles, maius miscendumst malum.**
Pel. 5. **serpentis squamea squalitudo.**
Atr. 6. **tonitru turbida torvo.**
Phin. 2. **saxis saeva sonando crepitu clangente cachinnat.**

ut **Pacuvii:**

229. [1]) **Tu, mulier, tege te et tuta templo Liberi.**
209. **Flexa, non falsa, autumare dictio Delphis solet.**

Petenti praeter haec in fragmentis exempla permulta occurrent. Cum Pacuvii autem laude confitendum est, hunc usum in eius scriptis multo rarius reperiri.

Haec autem sermonis deformitas, quam vituperatione dignam esse Horatio concedimus, nequaquam ceteros poetarum Romanorum iudices effugit. E quibus Quintilianus [2]): „Ceterum nitor", inquit, „et summa in excolendis operibus manus magis videri potest temporibus, quam ipsis [tragoediarum scriptoribus] defuisse." Eadem ratione Macrobius [3]): „Nemo", inquit, „ex hoc viles putet veteres poetas, quod versus eorum **scabri** nobis videntur; ille enim stilus Enniani saeculi auribus solus placebat; et diu laboravit aetas secuta, ut magis huic molliori filo acquiesceretur." Qui duo indices eo aequius iudicant, quo magis pristinae aetatis, qua illi poetae vitam degebant, sunt memores. Neque ipsi veteres poetae suum sermonem elegantem perfectumque putaverunt. Aliquando [4]) desideranti Pacuvio Attius tragoediam, cui Atreus est nomen, legit; tum Pacuvium dixisse aiunt, sonora quidem esse, quae scripsisset et grandia, sed videri ea tamen duriora paulum et acerbiora. „Ita est", inquit, „Attius, uti dicis; neque id sane me poenitebit, meliora enim fore spero, quae deinceps scribam. Nam quod in pomis est, idem esse aiunt in ingeniis, quae dura et acerba nascuntur, post fiunt mitia et iucunda." Num Pacuvius, quod promiserat, re ipsa postea praestiterit, nusquam apud veteres scriptores legitur. Ceterum etiam hac narratione demonstratur, Pacuvium lima ac litura nequaquam abstinuisse. (cfr. Horat. Ep. II 1. 167). Sane Pacuvius quoque scripta non ita polivit, ut mali scribendi generis [5]) effugerit vitium; clarissima eius fabula „verrucosae Antiopae" [6]) nomine significatur.

Ex iis igitur, quae disseruimus, elucere videtur, veteres poetas tragicos saepe dure atque antique scripsisse, quamquam durities illa magis illis temporibus, quam poetis, qui tum vivebant, tribuenda est. Id autem iis vitio vertendum est, quod antiqua vocabula vel e duodecim tabulis vetustissimisque litteris petita adhibuerunt.

Sed multa ignave ab iis esse scripta vix putemus. Ad nostram sententiam corroborandam primum fidissimos testes adhibemus fragmenta; quemnam igitur optimorum auctorum poeniteret, talia scripsisse, qualia apud **Ennium** [7]) reperiuntur:

Mater, optumarum multo mulier melior mulierum,
Missa sum superstitiosis hariolationibus:

---

[1]) Fragm. Lat. trag. ed. Ribbeck.
[2]) Instit. orat. X. 1. 97.
[3]) Saturn. VI. 8.
[4]) cfr. Gell. N. A. XIII. 2.
[5]) cfr. Cic. Brut. 72.
[6]) cfr. Pers. Sat. I. 77.
[7]) Ennianae poesis reliquiae, ed. Vahlen v. 68. sqq.

Namque Apollo fatis fandis dementem invitam ciet.
Virgines aequalis vereor, patris mei meum factum pudet
Optumi viri. Mea mater, tui me miseret, mei piget:
Optumam progeniem Priamo peperisti extra me: hoc dolet:
Men obesse, illos prodesse, me obstare, illos obsequi.

vel apud **Pacuvium**: [1])

Interea prope iam occidente sole inhorrescit mare
Tenebrae conduplicantur, noctisque et nimbum obcaecat nigror
Flamma inter nubes coruscat, caelum tonitru contremit.
Grando mixta imbri largifico subito praecipitans cadit,
Undique omnes venti erumpunt, saevi exsistunt turbines,
Fervit aestu pelagus.

vel apud **Attium**: [2])

Tanta moles labitur
Fremebunda ex alto ingenti sonitu et spiritu,
Prae se undas volvit, vortices vi suscitat.
Ruit prolapsa, pelagus spargit, reflat.

Eiusmodi exempla, non minus digna, quae laudentur, alia quoque exstant; plura superessent, si grammatici pari studio pulchritudines veterum poetarum, quam obsoleta eorum vocabula memoriae tradere voluissent.

Deinde auctorum testimoniis prohibemur, quominus putemus veteres poetas tragicos vi poetica caruisse. Imprimis Ciceronis aetas miram e tragicorum poetarum versibus percepit voluptatem; quae pulcherrima artium litterarumque Romanarum aetas fuit. E multis Ciceronis locis solos hos annotamus: „Atque [3]) id primum in poetis cerni licet, quam sint inter sese Ennius, Pacuvius, Attiusque dissimiles, quam apud Graecos Aeschylus, Sophocles, Euripides: quamque omnibus par paene laus in dissimili scribendi genere tribuatur“. Alioque [4]) loco dicit: „Ennium et Pacuvium et Attium potius quam Euripidem et Sophoclem legunt.“ Sed illa aetas fortasse nimis argumenta tragicorum poetarum, dignitatem crebritatemque sententiarum respiciebat, orationis filum et versus fabularum non curans.

Itaque Quintiliano, quem tragicorum poetarum linguam vituperare supra diximus, maior fides tribuenda esse videtur, talia laudanti [5]): „Tragoediae scriptores veterum, Attius et Pacuvius clarissimi gravitate sententiarum, verborum pondere, auctoritate personarum.“ Tragicis poetis etiam post Horatium permultos has ob virtutes fuisse amatores, testantur Ovidius, [6]) Persius, [7]) alii poetae Romani.

Quibus rebus, quamquam omnibus numeris fabulae absolutae non erant, tamen Horatii

[1]) Trag. poet. frgm. v. 411. sqq. ed. Ribbeck.
[2]) Trag. poet. frgm. pg. 258. ed. Ribbeck.
[3]) Orator lib. 3.
[4]) Opt. gen. dic. c. 6.
[5]) Inst. orat. X. 1. 98.
[6]) Am. I. 15.
[7]) Sat. I. 76.

sententia, veteribus poetis laudem et merita non esse tribuenda, quod quidem ad tragicos attinet, haud parva ex parte refutatur. Fortasse autem Horatius de argumenti pulchritudinibus tacuit ut de alienis, a Graecis petitis? Sane concedendum est, universam Romanorum artem tragicam a Graecis pependisse et tragoediarum scriptores Romanos permultum iis debuisse, verumtamen nequaquam ad verbum veteres poetas scripta Graeca in linguam vernaculam transtulisse, vix dicamus necesse est. Facile enim est intellectu, quam vere statuerit Cicero [1]): Ennium, Pacuvium, Attium, non verba, sed vim expressisse Graecorum. Nam cum ad sensum Romanorum, quibus simplex Graecorum elegantia displicebat, et ad exiles theatri apparatus fabulae essent adaptandae, et diverbia et carmina chorica cum contrahenda, tum amplificanda, tum omnino aut ex parte omittenda erant. Itaque vel magnam transferendi licentiam testatur Diomedes Grammaticus: [2]) „At scriptores Latini“, inquit „complures personas in fabulas introduxere, ut speciosiores frequentia facerent.“ Etiamsi igitur Romani multa e Graecis petiverunt, tamen suae gentis in tractandis fabulis memores haud parva commutaverunt et addiderunt; singula latius [3]) hoc loco pervestigari non concessum esse putamus. — In elegendis porro Graecis, quos potissimum auctores sequerentur, non minore sapientia usi sunt, cum complures fabulae a principibus illis tragoediae Graecae profectae sint. Quod Horatius his verbis significare videtur: [4])

Serus enim Graecis admovit acumina chartis
Et post Punica bella quietus quaerere coepit,
Quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent.

Magna denique poetarum tragicorum laus in eo contineri mihi videtur, quod etiam vernacula argumenta tractaverunt; hoc Horatius in iis iudicandis non adhibuit, sed quodammodo praeter voluntatem profitetur: [5])

Nil intentatum nostri liquere poetae,
Nec minimum meruere decus, vestigia Graeca
Ausi deserere et celebrare domestica facta
Vel qui praetextas vel qui docuere togatas.

Ita fabulae **praetextae** scriptae sunt ab Ennio: „Ambracia“ et fortasse „Sabinae“; a Pacuvio: „Paullus“; ab Attio: „Aeneadae“ [s. Decius] et „Brutus“. His quoque in fabulis, de quibus amissis iudicare non possumus, Horatium idem vituperasse atque in crepidatis, non est, quod miremur. Pergit enim:

Nec virtute foret, clarisve potentius armis,
Quam lingua Latium, si non offenderet unum —
Quemque poetarum limae labor et mora.

Non mitius, quam tragoediarum poetas, Horatius eos vituperatione perstrinxit, qui **comoediis** claruerunt, quorum primi, qui fabulas palliatas scripserunt, habendi sunt ii, de quibus sermo est loco iam laudato: [6])

[1]) Acad. I. 3. 10.
[2]) Liber III. 3.
[3]) Uberrime rem tractarunt Welker Griechisch. Trag. pg. 1342; Langen vindc. trg. Rom. pg. 39.
[4]) Ep. II. 1. 161. sqq.
[5]) A. P. 285. sqq.
[6]) Ep. II. 1. 56. sqq.

Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi,
Vincere **Caecilius** gravitate, **Terentius** arte.

(Quae supra de toto illo loco disputata sunt, quomodo intellegendus sit, etiam ad has sententias valent).

Quod igitur primum ad Plautum attinet, vocabulo „properare" laus continetur. Iam quaeritur, ad quid potissimum pertineat. Becker de com. Rom. putat id subesse: „nulla interposita cura, sed indefesso impetu atque rapido paene nisu ad exitum properari, ut nunquam remittere detur spectatoribus vel lectoribus animum." Equidem prorsus assentiar Ladewigio (Canon des Volcatius Sedigitus pg. 9) qui illud „properare" ad solos sermones, non ad cunctas fabulas referendum esse putat. Accedit enim ad causas, quas l. c. affert, quod fragmentis evincitur, Epicharmi dialogum eiusdem generis fuisse, atque Plauti, i. e. dass er oft mehr sprungweise als schrittweise fortgeführt ist. [1]) Utut est, et hac et illa explicatione Plauto laus tribuitur, quae eius scriptis non refutatur.

Cui laudi Horatius praeter vitia, quibus omnes poetas veteres laborare putat, haec obiicit: [2])

Adspice Plautus,
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi,
Ut patris attenti, lenonis ut insidiosi,

i. e., quam parum accurate personarum partes per fabulam servet. Tum pergit:

Quantus sit Dossennus edacibus in parasitis,
Quam non adstricto percurrat pulpita socco.

Quaeritur, quid voce „Dossenni" significetur. Commentator Cruq. eam explicat per „Atellanarum scriptor;" eius autem alibi nulla fit mentio. Quare ut ad alteram explicationem „Dossennus" i. e. „persona comica", quae in uno codice Horatiano adscripta est, confugiamus necesse est. Qua usi optime cum Ritschelio [3]) illum versum explicabimus: „Quantus ipse [Plautus] scurra sit in scurris parasitis describendis." Erat igitur scurrae persona una ex iis, quae in fabulis Atellanis apparebant. Hac explicatione hi versus duobus prioribus bene respondent, cum iterum significetur, Plautum neglegentem sensum pulchri modestiamque in depingendis hominum moribus solum id egisse, quod in Atellanis fabulis fiebat, ut populi risum moveret. Negari non potest, Plauti fabulas huic vitio aliquatenus esse obnoxias, quamquam admoneri debet, hunc fabularum habitum a populo Romano magnopere adamatum esse. A cuius plausu omnino pendebat Plautus ob egestatem suam, Horatius autem fabularum deformitatem quadam cum malitia hac in re positam fuisse putat: [4])

Gestit enim [Plautus] nummum in loculos demittere, post hoc
Securus, cadat an recto stet fabula talo.

Tantum igitur abest, ut poeta acerbam suam sententiam postea commutaverit, ut acerbius etiam Plautum carpserit: [5])

---

[1]) Krueger ad h. l. in ed. Horatii.
[2]) Ep. II. 1. 171.
[3]) Parerga I. praef. pg. 13.
[4]) Ep. II. 1. 175. sqq.
[5]) A. P. v. 270. sqq.

At nostri proavi Plautinos et numeros et
Laudavere sales nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati: Si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto
Legitimumque sonum digitis callemus et aure.

De Plautinis numeris usque ad novissima tempora omnes paene viri docti idem statuerunt, atque Horatius. Haud parva autem ex parte haec opinio eversa est Ritschelii [1]) quaestionibus, quibus docemur, Plautum in versibus faciendis vulgaris vocabulorum elocutionis summam habuisse rationem. Ad hanc rem spectat, quod litterae consonantes in finibus vocabulorum ut: s. m. r. d. t. nt., cum in sermone vulgari vix audirentur, ante aliam litteram consonantem, positionem, quam vocamus, in eius scriptis non efficiebant. Praeterea quaedam vocabula: ille, iste, esse, omnis, ecce, inter, unde, ipse, positione neglecta saepissime brevi paenultima syllaba in Plauti fabulis reperiuntur. Vulgari enim loquendi consuetudine harum syllabarum ita attenuata erat positionis vis, ut iam non explerent syllabae longae mensuram. Plautus his in rebus, quarum causae Horatii tempore non perspiciebantur ideoque licentiae existimabantur, summam servavit legem; quare eas iuste Plauto condonamus. Attamen alio modo, qui non probandus videtur, versuum faciendorum difficultates effugere studebat, nam et in versibus iambicis et trochaicis sine certa lege pro longis syllabis duas breves substituit. Nihilominus hi versus satis grata pronuntiatione, quam facultatem gravi Aesopo doctoque Roscio [2]) fuisse certum est, nihil habent offensionis. Ipseque populus Romanus, ut versus male compositos sentiret, satis eruditas et teretes aures habuit, si quidem Ciceroni fides habenda est talia referenti: [3]) „Histrio, si paullum se movit extra numerum, aut si versus pronuntiatus est syllaba una brevior aut longior exsibilatur et exploditur." Quare cum Plauti fabulae populo Romano gratissimae essent, nequaquam versuum condicionem miserrimam fuisse putabimus, ut contendit Horatius.

Plautinarum deinde fabularum sermo bene fluit, quamquam non plane liber est a quadam ruditate ac duritie, quae vocibus obsoletis posteaque omissis efficitur. Quae res neque saepe fit neque Plauto iuste obiicienda est, cum condicio sermonis illius aetatis hoc ferret. Contra laude dignus est poeta, quod multum contulit ad linguam duram et pauperem poliendam et augendam, quodque sui temporis abstinebat more Graeca Latinis immiscendi, allitterationesque intra iustos fines coercebat. Tali sermone usus non id egit, ut summam elegentiam atque artem sermonis assequeretur, sed quod popularibus maxime placebat, ut sermone vulgarem imitaretur. Qua ratione ipse Cicero [4]) Plauti sermone delectabatur: „Equidem quum audio socrum meam Laeliam . . . . eam sic audio, ut Plautum . . . . mihi videar audire. Sono ipso vocis ita recto et simplici est, ut nihil ostentationis aut imitationis afferre videatur . . . . . non aspere, non rustice, non hiulce, sed presse et aequabiliter et **leviter.**" Nimiis autem laudibus Plauti sermonem extulit Varro, [5]) qui „Musas Aelii Stilonis sententia Plau-

---

[1]) cfr. Ritschl. Rhein. Museum XIV. pg. 389—418.
[2]) cfr. Horatii Ep. I. 1. 82.
[3]) Paradox. III. 2.
[4]) de Orat. III. 12.
[5]) Quint. Inst. or. X. 1. 99.

tino dicit sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent". Contra recte Gellius [1]) Plautum „decus linguae Latinae", Macrobius [2]) „Plautum Ciceronemque eloquentissimos antiquae aetatis" appellavit; unde perspicuum est, Plautum in illam Horatii vituperationem, veteres poetas pleraque dure scripsisse, nequaquam cadere.

Eadem ratione, qua versus et sermo, Plauti sales Horatio displicuerunt. Prorsus aliam sententiam tulerat Cicero [3]): „Duplex omnino est iocandi genus, unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscoenum; alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum, quo in genere non modo **Plautus** noster et Atticorum antiqua comoedia, sed etiam Socraticorum philosophorum libri referti sunt." Fieri non posset, ut inter has tam contrarias sententias iuste statueremus, nisi fabulae Plautinae omnes paene superessent. E quibus elucet, [4]) Plauti sales saepius in rebus humillimis, maxime obscoenis, versari. Attamen in iis, quaecunque facete tractat Plautus, summa eius apparet vis comica et gravissima, ut assentiar Reichelio, qui contendit: [5]) „Die Plautinischen Lustspiele sind voll des koernigsten Witzes, voll wahrhaften Humors und urkraeftigen Behagens." Neque illa verborum obscoenitas talis est, qua mores audientium in periculum vocentur. Urbani quidem poetae Horatii aevi nudis obscoenitatibus verborum plerumque abstinuerunt; atque propter ipsam hanc urbanitatem, quae tum valebat, hominibus Aristophanis fabulas spectare non licuisset, nisi pudicitiam atque pudorem simulantes lascivias earum vituperassent. Nihilominus multo peior erat huius aetatis condicio, cum auctores res impudicas nebula quadam occultantes vituperationem effugerent. Quin eiusmodi scripta, quae ad corrumpendos mores multum conferre constat, maximum Romanorum studium in se convertebant, ut auctores eorum summo essent in honore; in quo Plautus, quippe cuius in fabulis res obscoenae nude proponerentur, honestique species nequaquam servaretur, vix esse poterat. Si igitur morum ratio habetur, potius Plautini sales commendandi esse videntur, quam Horatii aequalium scripta. Praeterea cum studio mihi Plautus illud facetiarum genus fabulis suis intexuisse videtur, ne cives, quibus eruditio urbanior negata, fescennina autem licentia acceptissima erat, deterrerentur, quominus eas audirent spectarentque. In fabulis enim Graecis, quas secutus est, facete dicta non tam „crassâ" erant „Minervâ."

Etiam aliis rebus Plautus fabulas Graecorum ad civium animos adaptavit. Graeci enim poetae longe alia rerum condicione ac Plautus, C. Statius, alii poetae Romani, fabulas composuerant. Apud Menandri, Philemonis, Diphili aequales sine dubio rei publicae, religionis, morum, coniugii fundamenta labefactata erant. Plauti autem aetate cultus deorum florebat, rei publicae opes in dies augebantur, amor patriae vigebat, cives sorte sua omnino erant contenti. Senatus ipse etiam tum dignitate potius regum conditionem aequabat, quam societatem venalem, in quam mutatum postea Iugurtha eum cognovit. Poetae igitur Romani placere aequalibus non poterant, nisi omnia praetermittebant, quae iis ignota atque ab iis aliena erant. Itaque Plautus non concessum putabat in comoediis deos impiis vocibus adspergere, connubia parvi ducere, de liberorum crebro partu, de liberis educandis queri. Simul etiam, ut

---

[1]) N. A. XIX. 8.
[2]) Saturn. II. 1.
[3]) de off. I. 29.
[4]) de Plauti salibus secuti sumus sententiam Reichelii: „Programm von Pressburg" 1852.
[5]) cfr. Reichel. l. c. pg. 22.

iam vidimus, ob populi indolem tenuis illa sermonis urbanitas Graecorum ab eo oppressa est. Omnia huius generis uberius explanare, quod factum est a Ladewigio [1]), non nostrum est.

Satis enim iam elucere videtur, quantum quidem e reliquiis fabularum Graecorum conicere licet, Plautum non ut interpretem, sed vere poetam comicum, qui aequalium rationem habet, eos secutum et de comoedia Romana optime esse meritum, ita ut nimis acerbe Horatius eum carpserit. Itaque Lessingius, gravissimus litterarum iudex, de „Captivis" Plauti hanc sententiam tulit: „Es ist gewiss, dass es das vortrefflichste Stück ist, welches jemals auf den Schauplatz gekommen ist." Et Plauti fabulae Romanis tam gratae erant et haud pauci poetae comici eum tanto studio imitati sunt, ut postero tempore permultae fabulae, quae ab iis scriptae erant, pro Plautinis venditarentur.

Per aetatem medius inter Plautum et Terentium nominandus est **Caecilius Statius**, poeta comicus. De quo Horatius l. c., qui veteribus poetis favebant, indicantes fecit: „vincere Caecilium gravitate" scl. Plautum. Non iniuria Caecilium apud eos magno fuisse in honore confirmat Cicero [2]): „Caecilius fortasse summus comicus", cuius magnam vim poeticam laudarunt quoque Nonius: [3]) „In argumentis Caecilius poscit palmam", et Charisius: [4]) „Πάθη Trabea. Atilius. Caecilius facile moverunt"; Ad quorum iudicium bene quadrat sententia Velleji Paterculi: [5]) „ . . . . dulcesque Latini leporis facetiae per Caecilium Terentiumque et Afranium suppari aetate nituerunt". Denique Volcatius Sedigitus in libro, quem scripsit de poetis, qui comoedias composuerunt, non dubitat, ei huius poesis palmam dare: [6]) „Caecilio palmam statuo dandam comico."

Quibus testimoniis uno tenore, ut aiunt, laudem exhibentibus, quae parvulis fragmentis confirmari quidem non potest, fidem negare non possumus; quare iniuste Horatius, C. Statium laude indignum esse ac meritis iudicavit. Verum tamen obsoleta vocabula durosque versus, quae vitia universe veteribus Romanorum poetis adhaerere dixit Horatius, C. Statius non evitavit, etiamsi nimiis allitterationibus abstinuit candidioreque sermone usus est, quam Pacuvius. Sed de his vitiis idem valet, quod supra de iisdem tragicorum poetarum vitiis exposuimus.

Is, cuius praeter Plautum plurimae fabulae exstant, est **Terentius**. Quem bene cum Plauto comparavit Kleinius: [7]) „Diese Umschmelzung ins Roemische ist ein Hauptverdienst des Plautus und unterscheidet ihn wesentlich von dem graecisirenden Terentius, der seine comoedia palliata dem Geschmacke der damaligen vornehmen mit griechischer Bildung prunkenden Roemer gemaess buchstaeblich nahm und sie in Ton und Behandlung nicht attisch genug ausglaetten konnte". — Ob eam ipsam causam loco supra laudato de Terentio sententia est: Vincere Terentium arte scl. Plautum. Quam artem in eo positam putamus, quod Terentius in fabulis personas servavit ad imum, quales ab incepto processerant, neque in describendis moribus quidquam redundat neque deest. Ut fabulis ipsis confirmatur, Horatius hanc laudem Terentio iuste detrahere non potuit, si revera voluit. Tum sermo fabularum tam mere Latinus

---

[1]) In Canon des Volcatius Sedigitus pg. 11.
[2]) de opt. gen. dic. I. 2.
[3]) s. v. poscere.
[4]) II. pg. 215.
[5]) Hist. Rom. I. 17.
[6]) Gell. N. A. XV. 24.
[7]) Gesch. d. Griech. und Röm. Dramas pg. 494.

tamque elegans est, ut Romanis vix ab homine in Africa nato profectus esse visus sit. Quare Cicero: [1]) „Terentius“, inquit, „cuius fabellae propter elegantiam sermonis putabantur a C. Laelio scribi;“ Quintilianus: [2]) „Licet Terentii scripta ad Scipionem Africanum referantur.“ In prosodia deinde Terentius maxime Plautum secutus est, attamen ita, ut se magis ad nobilium sermonem adplicaret, quamquam saepe elocutionis vulgaris rationem habuit. De metris denique Terentianis audiamus Lucianum Muellerum: [3]) „Nam cum ex illis poetis vetustiores, id quod Plauti maxime apparet libris, diversitati studerent metrorum, non perinde quidem elegantiae versuum et proprietatum sermonis Latini ratione habita, recentiores ad sapientiora convertere, ut Terentii hominis perelegantis fabulae testantur.“ Quibus rebus etiam nunc fabulae Terentianae deliciae omnium sunt, qui sapiunt: suavitas sinceritasque sermonis fortasse minima est causa, qua ad hunc auctorem trahimur. Tamen Horatius e poetis, quos laudibus et honore indignos atque quaedam nimis antique, pleraque dure, ignave multa scripsisse putabat, Terentium non exemit.

Restat, ut de poetis dicatur, qui **fabulis togatis** operam navarunt; de duobus igitur ex iis Horatius iudicavit, de **Quinctio Atta** ita: [4])

Recte necne, crocum floresque perambulet Attae
Fabula si dubitem: clament periisse pudorem
Cuncti paene patres.

Cui sententiae sine dubio inest, Horatium Attae fabulas indignas habuisse, quae in theatris spectarentur, cum „claudicante et titubante“ ingressu scenam perambulare viderentur. Fabulis ipsis praeter sedecim versus, qui ex ruina undecim fabularum servati sunt, amissis, cum testimonia auctorum paene nulla supersint, fieri non potest, ut haec Horatii de Attae arte sententia infringatur. Solus Varro [5]) haec laudat: „ἤθη“ nullis aliis servare convenit, quam Titinio, Terentio, Attae“.

Ceterum e fragmentis perpaucis elucet, ad Attae scripta quadrare, quod Horatius de veteribus Romanorum poetis contendit, eos nimis antique scripsisse. Ita ab eo exhibetur lupari pro scortari: muginari pro murmurare, aliaque similia.

Alter togatarum fabularum poeta **L. Afranius** est. De quo Horatius loco illo saepe iam laudato [6]) veterum poetarum amatores dicentes facit: Afranii togam convenisse Menandro, i. e. ut Orellii verbis utar: „Afranii fabulas togatas prope accedere ad Menandri fabulas [palliatas]: illum vitam moresque Romanorum eadem felicitate imitatum esse ac Menander expresserit Atticos, hunc in Attico sermone summam elegantiam consecutum esse, illum in Latino“. Nos quidem ipsi Afranii ingenium poeticum comprobare non possumus, cum praeter fragmenta haud magna fabulae ad unam omnes perierint. E sententiis autem scriptorum Romanorum emanat, L. Afranium magno ingenio poetico fuisse neque ignave scripsisse. Velleius [7]) enim: „Clara“, inquit, „etiam per idem aevi spatium fuere ingenia, in togatis

[1]) ad Attic. VII. 3. 10.
[2]) Inst. orat. X, 1. 99.
[3]) de re metrica pg. 70.
[4]) Ep. II. 1. 79.
[5]) ap. Charis II. pg. 215.
[6]) Ep. II. 1. inde a. v. 55.
[7]) Hist. II. 9. 3. cfr. etiam I. 17. 1.

Afrani, ... usque in Graecorum ingeniorum comparationem evecta; maiore auctoritate Quintilianus [1]): „Togatis excellit Afranius.“ Quod deinde ad sermonem attinet, Cicero [2]) poetam laudare videtur: „Quem [C. Titium] studebat imitari L. Afranius poeta, homo perargutus, in fabulis quidem etiam, ut scitis, disertus.“ Attamen obsoleta vocabula et formae vocabulorum in fabularum fragmentis saepe reperiuntur, ut: facul; firmiter pro: firme; habere pro: habitare: sanctitudo pro: sanctitas aliaque.

Quam causam satis magnam fuisse, ut Horatius Attae [in cuius fabulis eaedem res apparent] Afranioque honorem et praemia recte negaret, nemo putet.

Mea sententia et Atta et Afranius honore et praemiis ideo iam digni videntur, quod primi Romanorum vernacula argumenta ad fabulas adhibuerunt.

Ex iis igitur, quae adhuc disputata sunt, perspicuum fit, Horatium, quod ad poetas, qui fabulas composuerunt, spectat, vix iuste sententias tulisse; idem apparebit de poetis Romanorum veteribus, qui carmina epica scripserunt. Ad quos iam transimus.

IIª pars.

Horum in numero aetate primus **Livius Andronicus** nominandus est, cuius fabulas in prima commentationis parte ab omnibus tum parvi aestimatas esse diximus. Eius carmen epicum „Odysseam“ ab Horatio versibus: [3])

Non equidem insector delendave carmina Livi
Esse reor, memini quae plagosum mihi parvo
Orbilium dictare; sed emendata videri
Pulchraque et exactis minimum distantia miror;

significari certum esse videtur. Quamquam igitur his versibus conceditur, Odysseam non omni pulchritudine ac venustate caruisse, tamen Horatius eam nequaquam commendandam esse putavit, in qua rarissime „verba decora“ et „versus concinni“ apparerent. Pergit enim post illos versus ita: [4])

Inter quae verbum emicuit si forte decorum,
Si versus paullo concinnior unus et alter,
Iniuste totum ducit venditque poema.

Maxime autem versibus Odysseae Horatii taedium excitatum esse inde coniicitur, quod hoc carmen scriptum est versu Saturnio, quem poeta „horridum“ appellavit. Quae sermonis et versuum deformitas, quamvis in Odyssea inveniretur, ut ex Ciceronis sententia [5]): „Nam et Odyssea Latina est sic tamquam opus aliquod Daedali“, elucet atque e parvulis fragmentis comprobatur, tamen non tantopere urgenda erat. Nam de sermone Livii idem valet, quod de eadem re in veteribus poetis tragicis dictum est; neque vero id Livio vitio vertendum est, quod metrum Saturnium adhibuit, cum alia metra tum neque in usu neque Romanis nota fuisse videantur. Versus autem Saturnius, quod e gente Italorum originem duxerat, Romanis

[1]) Inst. orat. X. 1. 100.
[2]) Brut. 45. 167.
[3]) Ep. II. 1. 69. sqq.
[4]) Ep. II. 1. 73. sqq.
[5]) Brut. 18. 71.

valde placebat. Itaque Livius, cum carmen suum versu vernaculo scriberet, effecit, ut cives libenter res a Graecis praeclare gestas legerent; cognitione deorum et heroum, qui dicuntur, Graecorum afficerentur; paratique fierent ad fabulas percipiendas, quibus magna ex parte illae res continebantur. Per se autem apparet, summa iniustitia Horatium Livio, quippe qui quasi pater poesis Romanae sit, honorem et merita negare.

Livii igitur carmine Romanorum poetae ad epicam poesim excitati esse videntur; nam haud multo post duo alia carmina epica exstiterunt.

De alterius, „Belli Punici", auctore, **Cn. Naevio**, Horatius quadam cum indignatione interrogat: [1])

Naevius in manibus non est et mentibus haeret
Paene recens? —

Quae Horatius in „Bello Punico," quod opus praeter perparvula fragmenta amissum est, minus probaverit, quamquam disertis verbis non indicavit, vix dubium esse potest. Statuere enim licet Bellum Punicum, cuius auctor inter eos poetas vixerit, qui nequaquam elegantia sermonis et versuum excellebant, eadem vitia habuisse, quae illorum carmina; accedit, quod versu Saturnio scriptum est. Sed ad has res referenda sunt ea, quae, ubi de poetis tragicis et de Livio, Odysseae auctore, sermo erat, eadem ratione disputata sunt. Nihilominus non id agimus, ut Bellum Punicum carmen perfectum fuisse demonstremus, cum hunc in modum Cicero [2]) de Naevio iudicet: „Naevii Bellum Punicum quasi Myronis opus delectat." Ideo autem Naevio haud parva tribuenda est laus, quod primus Romanorum poetarum argumentum e rebus ipsius populi Romani petitum epico carmine exposuit.

Tertii carminis epici, cui nomen „Annales", **Ennius** auctor est; de quo Horatius sententiam tulit: [3])

Ennius et sapiens et fortis et alter Homerus,
Ut critici dicunt, leviter curare videtur,
Quo promissa cadant et somnia Pythagorea.

Poeta igitur laudem, qua primo versu quasi abripi videtur, vocabulis „ut critici dicunt" statim rescindit; ac tum, quod animam Homeri in suum corpus venisse dixerat Ennius, eum irridet. Profecto Ennius prorsus omnes Homeri virtutes in poemate suo prae se tulisse falso putatur. Hoc imprimis de arte, qua totum carmen compositum est, ideo negari debet, quod Ennius, cum anxie historiam exprimeret, ingenioso rerum ordine uti non potuit. Poeta enim tanta fide historiam secutus est, ut Fabius Pictor, rerum gestarum scriptor, libro eius ad scribendos „Annales" suos maxime usus sit, et Cicero, totius historiae Romanae vir satis peritus, haud raro Ennium in rebus historicis testem adhibuerit. [4]) Veruntamen haec Ennii carminis condicio non ex ignorantia poesis legum profecta esse videtur. „Nam bene intellexit Ennius", ut ait Corssenius, [5]) „si placere vellet carmen suum Romanis ad rerum, ut essent, non ut fingi possent, ieiunam semper contemplationem pronis, non debere illud ab Annalium publicorum duodecim tabularum, aliorumque monumentorum vetustorum fide discedere."

---

[1]) Ep. II. 1. 53. sq.
[2]) Brut. 19. 75.
[3]) Ep. II. 1. 50. sqq.
[4]) cfr. Cic. Brut. 15; de Divin. II. 55.
[5]) Origg. poes. Rom. c. VI.

Etiamsi igitur arte componendi longe infra Homeri opus putandi sunt Annales, tamen nequaquam simul sequitur, ut etiam Horatii crimini: veteres poetas Romanos pleraque ignave scripsisse, Ennius obnoxius sit. Quin levissime tantum eo tangi videtur, si de hac re amissis praeter sexcenta decem fragmenta duodeviginti Annalium libris iudicare licet. Nam multorum locorum admirabilem gravitatem, venustatem, proprietatem miramur, ut huius loci: [1])

Incedunt arbusta per alta, securibu' caedunt,
Percellunt magnas quercus, exciditur ilex,
Fraxinus frangitur, atque abies consternitur alta;
Pinus proceras pervertunt; omne sonabat
Arbustum fremitu silvaï frundusaï.

[cfr. huic similem locum Vergilianum, [2])

Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum,
Procumbunt piceae, sonat icta securibus ilex
Fraxineaeque trabes cuneis et fissile robur
Scinditur, advolvunt ingentis montibus ornos].

Nonne his verbis: [3]) Et tum sic ut equus, qui de praesepibus fartus
Vincla suis magnis animis abrupit et inde
Fert sese campi per caerula laetaque prata
Celso pectore, saepe iubam quassat simul altam,
Spiritus ex anima calida spumas agit albas

admonemur de Aeneidis versu XI. 492. sqq.?:

Qualis ubi abruptis fugit praesepia vinclis
Tandem liber equus campoque potitus aperto
Aut adsuetus aquae perfundi flumine noto
Emicat arrectisque fremit cervicibus alte
Luxurians luduntque iubae per colla, per armos.

Nonne redolent summam vim poeticam alii loci, quales?:

v. 14. Verrunt extemplo placide mare marmore flavo,
Caeruleum spumat sale conferta rate pulsum.
Labitur uncta carina, volat super impetus undas.
v. 92. Interea sol albus recessit in infera noctis
Exin candida se radiis dedit icta foras lux.
v. 153. Hac noctu filo pendebit Etruria tota.

Quibus locis iam satis demonstratur, Ennium magno praeditum fuisse ingenio poetico, ac cum Vergilio vel cum ipso Homero singulis rebus comparari posse, ut iure dolendum sit, quod plura et ampliora fragmenta a grammaticis non servata sunt. Itaque summum Romanorum in Ennium studium atque amor [4]) vix mirus nobis videtur, in Ennium „qui primus imaginem historiae Romanae magnificis coloribus depictam admirantis populi oculis proposuit

---

[1]) Fragmentorum versus 193. sqq. [citatur ex recens. Vahlen.]
[2]) Aen. VI. 179. sqq.
[3]) Fragm. v. 503. sqq.
[4]) cfr. Sueton. de illustr. gramm. c. 1. et 8.

Romanosque docuit, nullum esse Achillem, nisi qui Homerum facinorum suorum praeconem invenisset".

Quae cum ita sint, iam quaeritur, quo modo ad Ennium, Annalium auctorem, quadrent, quae praeterea Horatius veteribus Romanorum poetis universe obiecerit vitia. Scribendi igitur genere usus esse videtur Ennius in Annalibus eodem, quo in fabulis, ut saepe dure et antique scripserit. Haec durities praecipue efficitur nimiis allitterationibus, quibus ita indulsit Ennius, ut semel atque iterum versus vel in lusum poeticum abierint; quales versus sunt habendi:

I. 107. [1]) Maerentes, flentes, lacrimantes, commiserantes.
I. 130. O Tite tute Tati tibi tanta tiranne tulisti.
X. 452. At tuba terribili sonitu taratantara dixit.

Neque obsoleta vocabula vocabulorumque formas in Annalibus evitavit Ennius. Ita usurpat speres pro spes; mis — mei, sam — ipsam, sum — eum, sos — suos, horitor — hortator, veter — vetus, endo — in, lapi — lapide, capital — capitalis, facul — facultas, difficul — difficultas, famul — famulas, coll — collum, gau — gaudium et similia. [2]) Nihilominus recte Besselius: „Quamvis non infitiaris," inquit „Ennianam elocutionem tamquam horridam et incomptam saepe esse, tamen veluti in orientali litore pretiosi lapides, pura Latina verba ex vere antiquo Latio emicant in eo, quae feliciora illa saecula redolent." Itaque Vergilius, castissimus Latinitatis auctor, semel atque iterum ab eo integros versus mutuatus est.

Deinde, quamquam in sermone et versibus saepe elegantia desideratur, tamen iisdem de rebus permagna Ennio sunt tribuenda merita. Nam primum linguam Romanam permultis et novis vocabulis locupletavit, quod ipse confirmat Horatius: [3]) „quum lingua Enni sermonem patrium ditaverit". Deinde Annales non versu Saturnio, quem Livius Andronicus et Naevius adhibuerant, sed hexametro dactylico scripsit; quod Latinae linguae atque sermoni maximo fuit emolumento. In versu enim Saturnio Lachmanni sententia arsis aut ex una syllaba, eaque producta, aut e duabus correptis constabat; thesis autem aut unam syllabam et correptam et productam aut duas syllabas correptas complectebatur; quin etiam prorsus supprimi poterat. Alii aliter de hac re statuerunt atque iudicarunt. Quamvis autem inter se dissentiant viri docti, hoc tamen commune iis est, quod thesin saepe vel hic vel illic suppressam esse concedunt. Ita metrum Saturnium minime idoneum fuisse, quo, qualis syllabarum vis et mensura esset, diiudicari posset, apparet. Eadem condicione versum scenicum fuisse iam supra diximus. Versu autem hexametro recepto uniuscuiusque syllabae mensura statuenda erat. „Atque haec quidem res prima erat, in qua Ennius, Latini versus hexametri auctor, versatus est et ita quidem versatus est, ut inconstantiam prosodiacam fluctuationemque, quae usque ad id tempus valuerat et valere pergebat, radicitus everteret omnesque syllabas ad certissimam eamque, quantum vitae consuetudo patiebatur, pristinam normam perduceret, qua aut ut productae aut ut correptae apparerent". [4]) Singula accuratius perquirere non nostrae provinciae est. [5])

---

[1]) Citatur ex recens. Vahlen.
[2]) cfr. Bessel. in praef. ed. Ennii.
[3]) A P. v. 56.
[4]) cfr. Programm v. Coblenz 1866.
[5]) Sed cfr. Ritschl. prolegg. Trin; et Rh. Museum XIV. pg. 379—405.

Quantopere simul lingua Latina versu hexametro recepto per Ennium variis rebus aucta ornataque sit, bene demonstrat haec sententia Bernhardyi: [1]) „Seinen Nachfolgern aber hinterliess Ennius nicht bloss einen bereicherten Sprachschatz, sondern auch eine zur Wohlredenheit geebnete Bahn . . . . . . einen bleibenden Gewinn brachte der geniale Schwung, mit dem er die widerstrebende Sprache vorwärts trieb; denn er hat sie zuerst durch Wendungen und lebendige Figuren veredelt, noch mehr aber an Phraseologie gewöhnt und der fliessenden Erzählung eine Bahn eröffnet." Quae cum ita sint, vix opus est dici, Horatium iniuste Ennio honorem ac praemia negasse.

In

III[a]

commentationis parte de poetis veteribus, qui satiras scripserunt, sermo est, qua in spinosas grammaticorum et virorum doctorum sententias abripimur. Agitur enim de Horatii loco: [2])

fuerit limatior idem [Lucilius]
Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor
Quamque poetarum seniorum turba.

Disserit ibi Horatius de auctore rudis et Graecis intacti carminis i. e. de auctore satirae, qua in re omnes interpretes inter se consentiunt. Quis vero sit ille auctor, mea sententia dubium esse non potest, cum Horatius paulo ante v. 48. Lucilium satirae inventorem appellaverit. Nostro igitur loco idem Lucilius eadem ratione significatur, praeterquam quod nomen „inventor" in „auctor" mutatum est. Contra Manso, Weichert, Obbarius statuerunt, differentiam esse inter „auctor" et „inventor", [3]) qua illud vocabulum ad Ennium, hoc ad Lucilium necessario esset referendum, itaque hoc loco Ennium significari. Quae differentia per se his vocabulis inesse potest, quamquam non videmus, etiam Horatium eandem hoc loco statuisse vel statuere voluisse.

Praeterea quid est causae, cur Ennium hic significari putemus? Neque in quarta primi libri satira, neque in hac decima, neque in prima libri satirarum secundi Horatius Ennii ut satirarum scriptoris mentionem fecit, quamquam omnibus his locis de satira loquitur. Vel potius prorsus silentio eum praeterit. Quare si hoc loco Ennium intellegi voluisset, nominatim eum appellare debuisset Horatius. Nonne denique Ennius illi turbae seniorum poetarum, quam subsequenti nominat versu Horatius, ob aetatem iam inest? Is vero, qui propter id ipsum ab illa turba recedit et seiungendus erat et recte ab Horatio seiungitur, est Lucilius; qui hoc loco intellegendus est.

De Lucilio apertissime Horatius sententias tulit, et in vituperationem et in laudem. In vitio eum his ex causis esse putavit: [4])

Durus componere versus.
Nam fuit hoc vitiosus: in hora saepe ducentos,
Ut magnum, versus dictabat; stans pede in uno.
Quum flueret lutulentus, erat, quod tollere velles,

---

[1]) Grundriss d. lat. Litterat. 4. Bearb. I. pg. 214.
[2]) Sat. I. 10. 65. sqq.
[3]) cfr. Weichert, poet. Lat. reliqu. pg. 279—281.
[4]) Sat. I. 4. 8. sqq.

Garrulus atque piger scribendi ferre laborem,
Scribendi recte, nam, ut multum nil moror.

„Durus componere versus", quod vitium commentator Cruq. explicat per: „asper in componendis versibus", alio [1]) loco ab Horatio iisdem paene verbis redditur:

Nempe incomposito dixi pede currere versus [Lucili.]

Denique eandem versuum duritiem Horatius vituperat tertio loco, [2]) ubi dicit, in Lucilii poematis requiri „versiculos magis factos atque euntes". „Recte:" ut ait van Heusde (in stud. cr. in Lucilium), „non autem id urgeo in Lucilianis versibus innumerabilia exempla esse litterae s in finibus verborum omissae, caesuraeque neglectae, sed alia maiora. Vocabula enim quaedam ita rescidit poeta. ut altera pars priori versui, altera subsequenti adscriberetur". Quam satis miram Lucilii versuum condicionem facete imitatur Ausonius: [3]) „Villa Lucani — mox potieris — aco. Rescisso disces componere nomine versum; Lucili vatis sic imitator eris." — Martialis [4]) poeta hunc in modum queritur:

Carmina nulla probas, molli quae limite currunt,
Sed quae per salebras altaque saxa cadunt.
Et tibi Maeonio quod carmine maius habetur:
Luceili Columela hic situ' Metrophanes".

Fragmentis quoque abunde comprobatur, versus satirarum tam rudes et inconcinnos esse, ut Horatius suo iure interrogaverit:

quis tam Lucili fautor inepte est,
Ut non hoc fateatur? [5])

Non minus quam versus, Horatio displicuit scribendi genus, quo usus est Lucilius; propter nimiam scribendi celeritatem atque incuriam, cum ducentos versus in hora saepe dictaret, pede stans in uno, eum „fluere lutulentum" contendit atque esse in carmine „quod tollere velles". Hoc iudicium poeta in satira decima repetit: [6])

At dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem
Plura quidem tollenda relinquendis.

Atque eadem in satira, postquam Lucilii ipsius exemplo docuit, sibi licere, in eundem exercere iudicium, ita pergit: [7])

Sed ille
Si foret hoc nostrum fato delatus in aevum,
Detereret sibi multa, recideret omne, quod ultra
Perfectum traheretur, et in versu faciendo
Saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues.

Non levius igitur quam supra, Horatius his locis iudicat; primo enim loco universe dixerat, erat „quod tollere velles", secundo addit: „saepe ferentem plura tollenda relinquendis", denique: „multa sibi detereret.

---

[1]) Sat. I. 10. 1. sqq.
[2]) Sat. I. 10. 58.
[3]) Ep. V. 36.
[4]) Epigr. XI. 91.
[5]) Sat. I. 10. 2. sqq.
[6]) Sat. I. 10. 49. sqq.
[7]) Sat. I. 10. 67. sqq.

Eadem condicione scripta auctorum erant, quibuscum Horatius Lucilium comparavit, dico carmina Cassii Etrusci et Decimi Laberii. „Illum fama tunc erat capsis librisque propriis ambustum esse"; [1]) venaque eius poetica „ferventior" erat „amni rapido" [2]) quali ingenio Lucilius quoque erat, cum celerrime versus faceret. Alter poeta, quocum Horatius Lucilium in comparationem vocavit, est Laberius:

At idem [Lucilius], quod sale multo
Urbem defricuit, charta laudatur eadem.
Nec tamen hoc tribuens, dederim quoque cetera; nam sic
Et Laberi mimos ut pulchra poemata mirer. [3])

Quae vitia Laberii scriptorum Horatius hoc loco intellegi voluerit, vix pro certo affirmari potest, cum ipsa scripta excepto mimi cuiusdam prologo perierint, neque a veteribus scriptoribus vitia eorum commemorata sint. Sed in illo prologo, qui adhuc restat, garrulitatis vestigia inveniuntur, si fides habenda est Wielandio. [4]) Quem in modum fortasse saepius a Laberio peccatum est; quod de Lucilio contendit Horatius, eum „garrulum" appellans.

Iam si id agimus, ut statuatur, num poeta illa Lucilii vitia recte vituperaverit, relictis triginta librorum parvulis atque obscuris fragmentis in veterum criticorum, qui vocantur, iudicio acquiescendum est. Inter quos Quintilianus, iudex, gravissimus Horatii iudicii ratione habita: „Ego", inquit, „quantum ab illis [qui Lucilium omnibus poetis praeferre non dubitant], tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum et esse aliquid, quod tollere possis, putat". Unde elucere videtur Horatium fortasse paullo acerbius de hac re iudicasse.

Aliud quoque vitium ab Horatio in Lucilii poesi vituperatur: [5])

At magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis
Miscuit.

„Lucilii enim fautores cetera, quae tetigerat Horatius in lib. I. quarta satira, refutare conati magnopere extulisse videntur admirabilem illam Lucilii facultatem, cui non ut Horatio suffecisset, Latina lingua in poematis uti, sed gratiae varietatisque causa Graecae linguae quoque divitiis frui placuisset. [6])" Ex. gr. in Lucilii scriptis apparent vocabula: cinaedi, parasiti, idiota, psilae, zonarius, atomi, schema, monogrammi, cenoforus, choragus, [7]) quarum rerum ut notiones ita nomina a Graecis tradita sunt Romanis. Sed alia Graeca vocabula immutata retinuit: *ἀχάρνης, Ἰξιονίης, ἀλόχοιο, χειρόδυται, θωρακία, ἄτεχνον, σοφός, ὀχληρῶδες, συμμειρακιῶδες, ψωλοκοποῦμαι, πάναιθος, ἀπεψία, ἀρχαῖς, σκοπός,* alia. [8]) Quo fit, ut versus saepe miram quandam speciem habeant, ut hi: [9])

Non aderit: *ἀρχαῖς* hominem et *στοιχείοις* simul
Privabit; cum igni et aqua interdixeret, duo
Στοιχεῖα habet, id maluerit: privabit tamen.

---

[1]) Sat. I. 10. 63. sqq.
[2]) Sat. I. 10. 62. sqq.
[3]) Sat. I. 10. 3. sqq.
[4]) cfr. Wieland, Uebersetzung der Hor. Sat. I. pg. 294. 381.
[5]) Sat. I. 10. 20. sq.
[6]) cfr. van Heusde, studia critica in C. Lucilium. pg. 108.
[7]) cfr. Gerlach, Lucilius und die roemische Satire pg. CXXIX.
[8]) cfr. Idem opus eadem in pagina.
[9]) Sat. XXIX. 3. sqq.

Cuius generis plurima exstant exempla. — Ut igitur Horatius de Lucilii vitiis recte statuit, ita nequaquam de iis tacuit, quae in eius satiris laudanda videbantur, concedit enim: [1])

Fuerit limatior idem
Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor
Quamque poetarum seniorum turba.

Neque virtutes Lucilii parvi aestimat is, qui se „infra Lucilii censum ingeniumque“ esse Trebatio fatetur: [2]) et talibus laudibus poetam effert. [3])

Hoc erat experto frustra Varrone Atacino
Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,
Inventore minor, neque ego illi detrahere ausim
Haerentem capiti multa cum laude coronam.

Admiratus est porro liberrimam ingenii vim et facilitatem, quae in omni iocorum facetiarumque genere perpetuo ac facillime versatur: quare eum „facetum“ et „qui multo sale urbem perfricuisset“ appellavit. Praeterea ab Horatio dicitur „emunctae naris“ [4]) i. e. ut Lambini vocabulis utar: „sagaciter odorans hominum mores et vitia“.

Quamquam igitur secundum ea, quae in commentationis praefatione enucleare studuimus, elucet has laudes, Horatio ab adversariis paene exactas, uberiores non esse, tamen non supervacaneum videtur docere, qua auctoritate Lucilius apud alios scriptores Romanos fuerit. Qua in re imprimis Cicero nominandus est, qui: „Facete“, inquit, „is quidem [Lucilius] sicut alias; sed neque tam docti tum erant, ad quorum iudicium elaboraret, et sunt illius scripta leviora, ut urbanitas summa appareat, doctrina mediocris“. Quamquam ita Cicero Lucilio modicas dedit laudes, tamen nequaquam a Lucilii satiris abhorruit, sed versus eius ut aliorum poetarum saepe scriptis suis intexuit. [5]) Idem eum in poetis dicacissimis facetissimisque posuit his verbis ad Papirium Paetum usus: [6]) „Salsiores quam Atticorum Romani veteres atque urbani sales . . . . Te quum video . . . . . omnes Lucilios . . . . . videre videor. Moriar, si praeter te quemquam reliquum habeo, in quo possim imaginem antiquae et vernaculae festivitatis agnoscere“. Praetermissis permultis aliis testimoniis, quae congesserunt van Heusde l. c. Gerlachiusque l. c. (pg. 106—124), denique testem habemus Quintilianum, qui, postquam narravit, in aequalibus quosdam ita sibi deditos habuisse Lucilium amatores, ut eum non eiusdem modi auctoribus, sed omnibus poetis praeferre non dubitarent, addit: „Nam eruditio in eo est mira et libertas, inde acerbitas et abunde salis“. Quas Lucilii satirarum virtutes Horatius quoque, ut vidimus, neque ignoravit neque nos celavit. — Quibus explicatis elucet, sermonem quidem et versus Lucilianos vitiis laborasse, sed poetam, qui primus hoc genus coluerit ingenioque ad satiram apto praeditus in eo versatus sit, praemiis atque honore nequaquam esse indignum.

Nihilominus apparet, Horatium de Lucilio, quem ultimum poetarum veterum, de quibus sententias tulit, tractavimus, non minus fuse quam in universum iuste iudicasse.

---

[1]) Sat. I. 10. 65. sqq.
[2]) cfr. Sat. II. 1. 75.
[3]) Sat. I. 10. 46. sqq. cfr. quoque Sat. II. 1. 67.
[4]) cfr. Sat. I. 4. 7.
[5]) cfr. Quint. inst. or. 1. 8; Cic. de Orat. III. 23, 43; Brut. 79; Orator. 44.
[6]) ad fam. IX. 15. 2.

Sed si omnia, quae tota commentatione disputata sunt, animo complectimur, dicamus necesse est, Horatium in iudicandis poetis Romanorum veteribus iniuriam non evitasse. Quibus enim ex causis universe eos minimi habet? Primum, quia obsoleta vocabula in eorum poematis reperiuntur. — Verumtamen quam parum gravis haec est causa! — Profecto miramur, poetam tantopere eam urgere, cum alio loco summa sapientia dicat: [1])

Ut silvae foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt, ita verborum vetus interit aetas
Et iuvenum ritu florent modo nata vigentque.

Sermo enim temporum est, quibus poetae vitam degunt, non poetarum ipsorum, qui plerumque vocabulis non utuntur, nisi ex aequalium sermone petitis. Idem valet de altera causa, quae ad versuum veterum poetarum condicionem spectat. Nam inconditi illi et duri versus partim e lingua aspera et minus polita partim e Romanorum veterum atroci natura, quibus illa asperitas magnopere placuisse videtur, profecti sunt. Neque omnibus poetis pari modo versuum et sermonis deformitas adhaeret; Horatius autem sine ullo discrimine temporum vetustissimum Livium cum Attio, Ennio, Naevio, hos cum Plauto, Caecilio, Pacuvio, hosque ipsos cum Terentio Afranioque componit.

Sed etiamsi veteribus poetis immanitas atque feritas saeculorum, quibus vivebant, adhaeret; etiamsi arte et lima carent; etiamsi non omnia perfecta reddiderunt, nonne quod auctores poesis et quod diligentissime in poesi elaboraverunt, laude digni sunt? Nonne etiam praeclarissima vestigia summi ingenii et venustatis apud illos reperiuntur? Nonne unicuique paene propriae virtutes, propria merita sunt, seu quod novum poesis genus coluerunt, seu quod maiore arte in eo versati sunt, seu quod sermonem, prosodiam metraque perfectiora reddiderunt, seu quod Graecorum vestigia deserere ausi sunt, seu denique quod res vernaculas tractaverunt? Nonne Ennius, Plautus, Terentius, denique omnes paene Romani veteres poetae longe alii nobis apparent, quales Horatius eos proposuit?

Quibus rebus Horatium, imprimis quod ad laudem et ad merita attinet, iniuste de veteribus Romanorum poetis iudicasse perspicuum est; neque impietatis crimen effugere potest. Nam ille, qui adversariis inerat, antiquitatis amor et veneratio a natura fere populis insita est. Quae quanta esse in gentibus soleat, ubi primis poesis initiis rudibusque primorum poetarum periculis succedat cultior aetas, monumenta pariens lingua, stilo variisque venustatis elegantiaeque virtutibus illustria, satis omnis historia docet, scriptores testantur, usus ipse confirmat. Tantum igitur abest, ut Horatius hac pietate usus sit, ut eam omnino ex aequalium animis expellere studuerit.

Porro illud taedium in veteres poetas, quod ab Horatio eiusque amicis proficiscebatur, plurimis Romanis magis ad ingenia obtundenda, quam excolenda contulit, praesertim si fabulae spectantur. Qui cum res atque pulchritudines fabularum, quae in modum doctorum poetarum Alexandrinorum compositae, studiis Augusti Maecenatisque saepe in theatro agerentur, animo percipere non possent, aut in amorem ludorum, in quibus bestiae et gladiatores inter se lacerabant, aut in studium pantomimorum delapsi sunt. Romani enim in universum carebant illo pulchri sensu, quo Graeci excellebant, et illa facilitate, qua animos suos in res inauditas vel e gentibus peregrinis petitas demergere possent. Ad hoc accedit, quod Horatius

---

[1]) A. p. v. 60. sqq.

pro contemptis veterum poetarum fabulis ne satis magnum quidem numerum fabularum novae poesis praebere potuit. Nam, si id agimus, ut conspectum demus de illius temporis fabulis, minimas habemus, quae memoria dignae putabantur, sunt enim hae: L. Varii „Thyestes", Ovidii „Medea", Caesaris „Oedipus", Augusti „Aiax" et „Achilles". Etiam plures fabulae compositae sunt, sed laus iis negata est. Quae paucae fabulae nequaquam sufficiebant neque populi favorem sibi conciliare poterant, quamvis a Graece eruditis laudarentur.

Itaque elucet, praeter iniustitiam neque maiores colentem neque plerisque aequalibus consulentem de veteribus Romanorum poetis sententias tulisse Horatium.

Quamquam igitur in fine commentationis non id agimus, ut eum ab illo crimine liberemus, tamen hoc respiciendum videtur. Ex commentationis praefatione enim cognovimus, illius aetatis Romanos de poesi eiusque rationibus in duas partes discessisse vehementi certamine, cui Horatius quasi dux alterius partis interesset. Tali igitur rerum condicione neque adversarii iniustitia abstinuisse videntur, cum sola veterum Romanorum carmina artis poeticae exemplaria putarent vitia eorum aut ignorantes aut studiose negantes, Horatii eiusque amicorum autem poemata, quae permultis virtutibus excellere constat, minoris ducerent. Simulque ex Horatii scriptis sequitur, ut iidem imprimis eum ipsum vituperatione lacessiverint atque insectati sint. Quod Horatium, qui permagnum in rebus poeticis ascendisset fastigium, molestissime tulisse, non est mirandum. Itaque iram et taedium, quo adversarios petiturus erat, in ipsos poetas Romanorum veteres, qui soli ab illis magni aestimabantur, contulit atque certaminis ardore iniustitia se abripi passus est, ut, quae veteribus poetis adhaerebant vitia, nimis urgeret et merita in poesim iis negaret.